UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

11. Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

Visual Library

11. *Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.*

PRosequitur adhuc ad hæc verba venenatam suam superioris loci doctrinam Caluinus, cui etiam remedium adferre conabimur. *Duo* (inquit) *ista inter se vt contraria comparat Petrus: spem habere salutis in Christi gratia, & sub iugo legis esse. Quæ comparatio Christi iustificationem maximè illustrat. Nam inde colligimus fide iustificari, qui liberi & soluti à legis iugo salutem in Christi gratia quærunt.* Petrum de iugo legis moralis & obseruationis mandatorum Dei non fuisse loquutum, sed de solo ceremonialis legis iugo, satis supérq; ostensum superiùs est. Demus nunc tamen Caluino de vtroque iugo loquutum esse; fieriq; hoc loco legis mandatorum & gratiæ Christi oppositionem; sicuti ab vna lege ad alteram Apostol. in epist. ad Galatas deflectere videtur; estque reuera oppositio aliqua inter gratiam Christi & legem ipsam mandatorum. Nũc vt ex hac oppositione suum intentum prosequatur Caluinus, videamus. *Porrò* (inquit) *iugum legis ex duplici fine consideratur. Prior est, Qui fecerit hæc, viuet in illis. Alter est, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus præceptis. Redeamus ad membrum contrarium. Si non aliter salutem consequimur ex Christi gratia quàm ablato legis iugo; sequitur, nec salutem nobis in legis obseruantia sitam esse, nec legis maledictioni*

Leuit. 18. 15. Deut. 17. 26.

dictioni obnoxios esse quicumque in Christum credunt. Nam si gratia saluus esse posset qui iugo legis adhuc est implicitus, inepta esset Petri ratiocinatio, quam constat à repugnantibus deductam esse, hoc sensu: Salutem speramus ex Christi gratia: ergo legis iugo non sumus subiecti. Nisi dissidium esset inter Christi gratiam & eius iugum, fucum faceret Petrus. Quare necesse est discedere à legis iustitia, quicumque vitam in Christo quærunt. Neque enim repugnantia hæc ad doctrinam spectat, sed ad iustificandi causam. Tota hæc Caluini deductio facilè concedi posset, nisi aliquando in mutandis verborum terminis vafrum impostorem ageret. Petri antithesis inter iugum legis & gratiam Christi apertam repugnantiam ponit, idque quo ad iustificandi causam; docétque non per iugum legis sed per gratiam Christi omnes saluari. Iugum quoque legis duplex agnoscimus, vnum in simplici doctrina, alterum in maledictione transgressoribus posita; & ab vtroque iugo gratia Christi liberat. Sed quum Caluinus cum priori iugo simplicis doctrinæ ipsam legis obseruantiam callidè confundit, & ipsam legis iustitiam gratiæ Christi opponit, egregiè lectorem impostor fallit. Doctrina enim illa legis, *Qui fecerit ea, viuet in illis*, vt est doctrina tantùm forinsecus docens, & cognitionem solam peccati adferens, iugum sanè quoddam est, & iram operatur cui Christi gratia medetur, vt in præcedenti

Legis doctrina & legis obseruantia differunt.

cedenti loco satis explicatum est. Atqui ipsa legis obseruantia, ipsaque legis iustitia, non est hoc iugum legis, aut aliquod omnino iugum legis, sed est ipse primarius finis legis & vsus legis, quem illa doctrina demõstrat, & sola Christi gratia non doctrina exterior efficit. Nec Petrus effectum finé aut vsum legis Christi gratiæ opponit, sed solùm *iugum legis*, & quatenus lex forinsecus aut minando terret, aut non nisi intellectum docet. Callidè igitur & impiè Caluinus vnum cum altero confundit. Callidè & impiè infert: *Si non aliter salutem consequimur ex Christi gratia quàm ablato legis iugo; sequitur, salutem nobis in legis obseruantia sitam nõ esse*: pro eo quod dicere & inferre debuit; sequitur, salutem nobis ex iugo legis cõstare non posse. Istud sanè ex Petri antitheſi sequitur: & iugũ legis per Christi gratiam tolli necesse est; legis autem obseruãtiam per Christi gratiam statui necesse est, non tolli. Vnde Paulus: *Nunquid legem per fidem destruimus? Absit; sed statuimus.* Quod ita exponit S. Augustinus: *Lex non euacuatur per fidem, sed statuitur, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur.* Rursum quum ita infert Caluinus; *Nisi dissidium esset inter Christi gratiam & legis iugum, frustra faceret Petrus; ergo necesse est discedere à legis iustitia, qui vitam in Christo quærunt*; confundit iterum nefariè iugum legis cum iustitia legis. Sequitur sanè ex antitheſi Petri, Necesse est à iugo

Caluini callida impietas.

Legis iugum, non obseruãtia, Christi gratiæ opponitur.

Rom. 3.

De Spiritu & lit. cap. 29.

Alia Caluini impostura impia.

iugo legis discedere, vel à iugo legis liberari, qui in Christo salutē quærunt: sed non sequitur, Necesse est vt à iustitia legis discedant. Imò qui salutem in Christo quærunt, necesse est vt iustitiam legis teneāt, faciant, adimpleant, dicēte Paulo de Christo: *Damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui secundùm spiritum ambulamus, non secundùm carnem.* Nequiter igitur lectorem fallit Caluinus, dum *pro iugo legis* callidè infarcit & supponit *obseruantiam ac iustitiam legis*: quæ Christi gratiæ adeò nō opponuntur, vt Christi gratiæ proprij & primarij effectus sint, dicente iterum Paulo: *Apparuit gratia & benignitas Saluatoris nostri Dei, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, iustè, ac piè viuamus in hoc seculo.* Hæc est legis obseruantia, legisque iustitia, à legis iugo longissimè distincta. Hæc prima hoc loco & peregregia Caluini impostura est; qua sublata, & manēdo in terminis verborum D. Petri, loquendo *de iugo legis*, totam antithesim ac repugnantiam inter illud & gratiam Christi perlibenter agnoscimus. Sed nunc vt in *iugo legis* ad obseruantiam legis traducto vnam technam fabricauit Caluinus, sic in verbo *gratiæ Christi* aliam fabricabit. *Quo* (inquit) *refellitur eorum commentum, qui Christi gratia nos iustificari exponunt, quia nos Spiritu suo regenerans, vires ad implendam legem conferat.* Quære à Caluino, quod est antece-

Rom 8.2.

Legis iustitia gratiæ Christi nō opponitur, sed effectus eius est.
Tit. 2. 11.

dens

dens eius relatiui, *Quo refellitur*. Sanè id quod dixerat, inter ipsam legis obseruantiam seu iustitiam legis, & Christi gratiã, repugnantiam à Petro statui. Nam illa repugnantia si vera esset, profectò per Christi gratiã vires ad implendam legem intelligi non possent. Atqui talem repugnantiam non à Petro assertã, sed à Caluino callidè subornatam, iam iam demonstrauimus. Adeò quippe legis obseruantia cum gratiæ viribus cõuenit, vt hæc causæ, illa effectus rationem habeat. Nullum igitur hîc antecedens est, quo verificari hoc relatiuum Caluini possit, aut quo sententia ista Catholica à D. August. contra impios Pelagianos millies asserta, pro commento haberi debeat, qua dicitur, Christi gratia hoc sensu nos iustificari, quia Christus Spiritu suo nos regenerans, vires ad implendam legem confert. Sanè hoc & non alio sensu gratiam Christi iustificãtem contra Pelagium S. Augustinum eiusque temporis Concilia explicuisse, ac strenuè propugnasse, alio in loco ostendimus. Videamus hîc tamen quæ Caluinus contra hunc gratiæ Christi sensum hoc loco disputat. *Qui hoc*, inquit, *imaginantur, etsi videantur paululum laxare legis iugum, vtroque tamen eius fune ligatas tenent animas. Semper enim vigebit hæc promissio, Qui fecerit hæc, viuet in ipsis: ab altera parte maledictio incumbet omnibus qui legem non exactè impleuerint.* Respondeo: Per gratiam Christi

In opere de Iustificat. lib. 5. cap. 4.

Christi adiuuantem vt lex impleatur, vterque funis legis, quatenus iugum est, abrumpitur. Nam & doctrina sola non est, accedente voluntatis affectu per gratiam sanato; & maledictio legis tollitur, quia lex exactè impletur, quatenus eam ad salutē consequendam impleri necesse est. Quæ autem contra legis præscriptum minutiora nō implentur, nec legis iustitiam tollunt, & per aliam ignoscentem gratiam & iustorum orationem quotidianam ipsa tolluntur: quę in præcedenti sententia explicata dedimus. Prosequitur Caluinus: *Quare longè aliter definienda est Christi gratia, in quam salutis fides recumbit, quàm illi somniant: nempe vt sit gratuita reconciliatio sacrificio mortis eius parta: vel (quod idem valet) gratuita peccatorū remissio, quæ Deum placando ex hoste propitium Patrem nobis reddit.* Hæc quidem Caluini & aliorum hodie hæreticorum imaginatio est. Sed hæc Christi gratia, siue in recōciliatione impij, primaq; iustificatione, siue in iustitiæ progressu & incremento, non nisi vnam iustitiæ partem constituit: quando præter gratuitam peccatorum veniam, tum in ipsa reconciliatione regeneratio noua per Spiritum gratiæ semper accedit, tum in iustitiæ progressu & incremento adiutorium gratiæ, quæ intus cor mouet & omne bonum opus producit, suas præcipuè partes agit. Et hanc quidem gratiæ Christi operationem quia nec negare nec dissi-

Peccatorū remissio gratuita non est tota gratia Christi, sed vna duntaxat iustitiæ pars.

nec dissimulare Caluinus potuit, vt eam ab hac disputatione remoueat, ita subiungit, totamque disputationem suam claudit: *Verum quidem est, nos Christi gratia regenerari in vitæ nouitatẽ: sed vbi de salutis fiducia agitur, sola in mentem venire debet gratuita adoptio, quæ cum peccatorum expiatione & venia cõiuncta est. Nam si in rationem veniunt opera, & iustitiam nobis aliqua saltem ex parte conficiant, minimè ruptum erit legis iugum, atque ita concidet Petri antithesis.* Hæc est Caluini & Caluinistarum Iudaica adhuc seruitus & timor seruilis. Vt in rationem opera veniant, ferre non possunt: vt iustitiam aliqua ex parte opera conficiant, velut iugum importabile exhorrent. Solam volunt gratuitam adoptionem in mentem venire, quum de salutis fiducia agitur. Sed isti pestilentes Doctores ad inferni barathrum sectatores suos rectà perducunt, & diuinis Scripturis ex diametro cõtradicunt. In rationem operà venire debent, *quia reddet vnicuique Deus secundùm opera sua: quia factores legis iustificabuntur coram Deo*: quia dicetur à Christo Iudice, *Discedite à me operarij iniquitatis, nescio vos*: quia *omnem palmitem in Christo per fidem manentem, non ferentem bonorum operum fructum, tollet Deus Pater.* Rursum, iustitiam ex aliquâ parte bona opera conficiunt, quia *qui facit iustitiam, iustus est*, & *Abraham ex operibus iustificatus est*, & zelus Phinees *reputatus est ei in iustitiam in generatione &*

Caluinistæ Iudaicã adhuc seruitutẽ seruiunt.

Opera in rationem venire debent circa salutis fiduciam. Rom. 2. 7 13. Matth. 7. 23. Ioan. 15. 2

Opera bona pars iustitiæ. 1. Ioã. 3. 7 Iac. 2. 24. Psal. 105. 31.

Rom.6. 18. *generationem, & liberati à peccato, serui facti sumus iustitiæ, exhibentes membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Denique, ad salutis fiduciam concipiẽdam non sola adoptio venire in mentem debet, sed *si cor nostrum non*
1.Ioan. 3. 21. *reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum. Si*
Rom. 8. 13. & 17. Hebr. 3. 14. *Spiritu facta carnis mortificauerimus, viuemus. Si compatimur, conglorificabimur. Si initium substantiæ Christi vsque ad finem firmum retinemus,*
Ioã. 15. 10 *participes eius erimus. Si præcepta Christi seruauerimus, manebimus in dilectione eius;* sine qua nulla salutis fiducia concipi potest. Hæc nobis in mentem venire debent, aliaque innumera diuinæ Scripturæ de bonorum operũ necessitate documenta, quando de salutis fiducia agitur; non sola per fidem adoptio, nec sola gratuita per Christum reconciliatio. Nihil est hac Caluini doctrina pestilentius. Nihil ab illo eiusque sectatoribus astruitur confidentiùs. In nullo argumento diuinis Scripturis abutuntur sceleratiùs. Quod in vna ad Romanos Epistola Antidota nostra bona ex parte demonstrabunt. Denique has ob causas Petri antithesis, hac posita Christi gratia quæ legem facit implere, non concidit, sed in proprio ac germano suo sensu stabilitur, quem his verbis tradit

De peccato originali. c. 25. Augustinus: *Vnde est* (inquit) *quod dicit Apostolus Petrus; Quid tentatis Deum, imponere iugum ceruicibus discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini*

mini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi; nisi quia & illi per gratiam Domini Iesu Christi salui facti sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio sed cognitio est facta peccati? Ecce, de gratia Christi sanante Petrum hîc loqui ait, de qua sic alibi: *Gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur.* De Spirit. & lit. c. 29 Hæc Christi grátia nõ opponitur obseruantiæ legis, sed facit & operatur illam: iugo legis opponitur, idemque tollit: vt non ampliùs iugum, sed lex suauis, & dulcia eius eloquia fiant. Concludã cum verbis Augustini: *Eo ipso* (inquit) *quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe sunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est.* De natur. & grat. c. 69. Hæc ille.

19. *Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad eum, sed scribere vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato, & sanguine.*

DIsputat ex hoc loco acriter Caluinus, huius Concilij Apostolici Caput quasique Presidem Iacobum fuisse, nõ Petrum, eò quòd iste sententiã vt Iudex ferat, quam & postea reliqui omnes secuti sunt ad verbum. Sic in sua Institutione. In Commentarijs verò ad hunc locum; *Episcopus* (inquit) *Hierosolymis fuerit, nec ne, in medio relinquimus,* Instituc. lib. 4 c. 6. num. 7.